



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

XII. Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Richtrudis matrimonio juncta, tres, quas genuit, filias in Deiparæ honorem omnes Mariæ nomine insignivit. Marito defuncto Deiparæ amoribus & cultui uberius vacatura, Monasterio se abdedit, quam & filia pari pietate sunt secutæ. *Nad. an. Cæl.* Tantùm in partem utrâmq; Majorum exempla possunt.

S. Richtrudis ora pro me, ut dulce mihi semper sit Mariæ nomen: sit mel in ore, júbilus in corde, ut quoties de illa cogito, gustum sentiam. Illa enim ex Patris omnipotentia, ex Filii sapientia & Spiritûs sancti benignitate est Maria, id est Domina nostra. Utinam ego sim, qualis esse debeo, verus Mariæ servus. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibûsque tam corporis, quàm animæ viribus centiesmillies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Præter sancti hujus nominis amorem, amabo etiam eos, qui aliquod è Mariæ familia nomen habent.

Quisque devotus Mariæ servus securè illi potest dicere: Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. In nomine enim Mariæ spernimus motus peccatorum in corde surgentes. *Rich. à S. Laur. l. 2.*

Quæstio: An in toto mundo plures sint Mariæ hostes, an amatores?